

vir benignus et affabilis, set heu! ad spiritualia non deditus. Periculose eciam satis obit sine sacramentis ut dicebatur¹³⁰. Aliunde bene rexit. Obiit a. D. 1471 (Jul. 22). Sepultus prope armarium ecclesie nostre.

Anno¹³¹ Domini 1468 fuit bellum inter ducem Wilhelmum ac filios Fredericum et Wilhelmum ex una, ac civitates vulgariter dicti de Hensemeste ex altera partibus, et plura dampna ambe partes intulerunt sibi invicem. Set a. D. 1471 fuit forte bellum inter prefatos duces Brunswicenses et Ernestum episcopum Hildensem, et famabatur quod

~~Men~~ episcopus ex nimia tristitia obiit eodem tem-

A pore. Anno vero sequenti, scilicet 72, orta est gravis discordia inter civitatem Hildeensem et episcopum Henningum ex una, et vasallos dyocesis et quosdam canonicos ac opida terre partibus ex altera, qui eundem dominum Henningum episcopum recipere recusarunt. Quis velit esse finis, Deus novit, set jam plures ville desolate sunt heu!¹³² Eodem anno cometa visus est. Et Erfordia pro maxima parte ab ignibus consumpta est, pons scilicet mercatorum et omnes domus fere presbiterorum cum ecclesiis principalibus, beate scilicet Marie Virginis et sancti Severi cum 12 aliis ecclesiis.

VARIÆ LECTIONES.

¹³⁰ et verum est in marg. atramento alio. ¹³¹ alia manus. ¹³² aliud atramentum.

ANNO DOMINI XXXVIII.

CATWALLONUS

ROTHONENSIS ABBAS.

NOTITIA HISTORICA IN CATWALLONUM.

(MABILL., *Annal. Bened.*, t. IV, lib. LV, pag. 321.)

Sub idem tempus (1026) nobilis Armoricus Simon, filius Bernardi, a quo Roca-Bernardi, cuius loci dominus erat, cognomentum accepit, monasterium Sancti Gildasii de Nemore in Namnetensis pagi luco qui *Lempidric* tunc vocabatur, ædificavit, ubi Helgotum, virum sanctum, Rothonensem monachum, abbatem constituit. Tunc Sancti Salvatoris monasterio Rothonensi præerat Catwallonus abbas, laudatus in litteris prædicti Simonis pro constructione monasterii, in quibus note chronicæ non sibi constant, cum monasterium hoc anno conditum dicitur, Heinrico Franciæ regnum regente.

Ast aliunde certum est Catwallonum abbatem Rothonensi monasterio hoc ipso tempore præfuisse. Hie successerat Mainardo eximia sanctitatis viro, qui Bellam-Insulam, vulgo *Guedel*, a Gaufrido Britannie duce obtinuit. Ejus jussu Catwallonus, ipsius Gaufridi, ut ferunt, germanus frater, et ipse multa religione præditus, monachorum cœtum in Bellam-Insulam induxit. Inde post Mainardi obitum ad regimen Rothonensis monasterii revocatus, illud ruine proximum instaurare aggressus est. Ejus rei testem habemus ipsius Catwalloni epistolam ex codice monasterii Sancti Sergii apud Andecavos, scriptam ad Hildegardem Andecavorum ducem, Fulconis-Nerræ conjugem, eo tempore quo bellum cum Alano Britannie duce gererat. Hanc epistolam infra exhibemus. Scripsit et aliam idem Catwallonus epistolam ad quondam abbatis sám, cuius nomen a littera L. incipiebat, quam puto esse Letgardem, abbatis sám Beatae Mariæ de Caritate apud Andecavos. Idem abbas prohum quendam virum, sed agrestem, Gurkium nomine, genere Normannum, in Sancti Guifwali insula demorantem, convenisse traditur, eumque ad largiendam Sancto Salvatori prædictam insulam est cohortatus. At ille, ut ferus erat, atvis vestibus laneis indui solitus, pe-tentem durius objurgavit, repulitque: sed tandem mansuetus, se suaque omnia Salvatori tradidit.

CATWALLONI

EPISTOLA

AD HILDEGARDEM ANDECAVORUM DUCEM, FULCONIS NERRÆ CONJUGEM.

(MABILL., *Annal. Bened.*, IV, 321.)

Digitized by Google